ANELLI AMATI IVRISCONSVLTI NEAPOLITANI.

CONSILIORVM SEV RESPONSORVM
Centuria Prima.

CVM DECISIONIBVS, SEV CONCORDIIS, in fine cuiuſq; Reſponſi adiectis.

Leges quæ in hoc opere explicantur ſequens pagella indicabit.

Neapoli, Apud Conſtantinum Vitalem. 1618.

Z-6-7-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA · SALAMANCA

ELENCHVS LEGVM QVAE IN HOC OPERE EXPLICANTVR.

EX D. VET.

TEx. in §. vis maior. l. ſi merces. 28. ff. locati. aduerſus Caſtr. & Pinellum dilucidatur. Conſ. 21. nu. 2. & infra.

Tex. in § ſoluta. l. ſolutum. 11. ff. de pign. act. declaratur. Conſ. 25. nu. 9

Tex. in l. proculus. 23. ff. de vſufr. aduerſus communem, interpretatur, & Pinell. explicatio aduerſus Menoch. defenditur. Conſ. 34. nu. 37. & infra.

Tex. in l. binas. 9. ff. de ſeruit. vrb. præd. declaratur. Conſ. 30. nu. 2.

Tex. in l. item ſi verberatum. 15. in §. 1. ff. de rei vendi. ex Andr. declaratur, Conſ. 99. num. 27.

EX INFORT.

TEx. in §. cum ita. l. hæredes mei. 67. ff. ad Trebell. nouo ſenſu aduerſus communem dilucidatur, inde cum difficili contrario. tex. in l. pen. C. de impub. ad concordiam planè redigitur. Conſ. 19. nu. 25. verſ. ter itaq;

Tex. in l. qui patri. 59. ff. de acquir. hæred. explicatur, et communis allegatio falſa detegitur. Conſ. 20. num. 30.

Tex. in l. non dubium. 14. in fin. ff. de legat. 3. aduerſus Pinell. declaratur. Conſ. 21. num. 5.

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.
D. FRANCISCO DE CASTRO
TAVRISANI DVCI, CASTRI COMITI,

Olim apud Paulum V. Pontificem Maximum, pro inuictiſsimo, potentiſsimoq;, Catholico Philippo III. noſtro, ac Hiſpaniarum Rege, Oratori; in Regno Neapolitano, atq; ad præſens in ſiculo Regno Proregi; ſupremi ordinis eiuſdem Regni Conſiliario.

EORVM ego operoſum ſtudium, qui litterarios labores ſuos in eruditorum virorum noſtro præſertim æuo lucem proferunt Princeps Excellentiſſime non minus ſemper periculoſum duxi, quam ſi Atlantici maris fluctibus hyberno anni tempore anguſto nauigio ſe committere minime dubitarent. Habet enim eorum, qui ingenuas artes profitentur, iudicium infinitam doctrinarum abyſſum, quam cogitationis bolide nemo aſſequatur; fluctuat diſſidentium ſententiarum flatibus, quarum multitudinem difficilius ineas, quam Thetis vndarum, continet prærupta pertinaciæ Acroceraunia; arietat ſecum ipſum aſſiduis huc, illuc intercurſantis varietatis euripis, ſpumat diſputationum iris; ſinuoſis obtrectationum Mæandris agitatur, alit inſatiabiles nouarum commentationum Charybdes, refertum eſt errorum Scyllis; continet difficultatum ſyrtes; non vacat deniq; piraticis alienæ laudis prædonibus. Cum autem neq; is ego eſſem; qui perexiguo ingenij mei myoparone longius e terra diſcedere, vaſtoſq; marium horum campos, qua maxima eſt altitudo, ingredi, atq; excurrere auderem; & Iuriſprudentiæ Oceanus ampliſſimo ſinu diffuſus, cœlo, terriſq; conterminus tam longe, lateq: pateat, vt vix ingentes, tur-

ritæq;

ANELLI AMATI IVRISCONSVLTI NEAPOLITANI.

CONSILIORVM, SEV RESPONSORVM.

Liber Primus.

SVMMARIVM.

1 SVPERFLVVM non dicitur dũ aliquid repetitur, vt aliud addatur.
2 L. fi. C. de edict. diui Adr. toll. limitatur, vbi dominij exceptio incontinenti probatur.
3 L. fin. quando in feudis locum habeat?
4 Incontinenti probari dicitur, quando iuris articulus diſceptatur.
5 L. fin. ceſſat facta verbali reſtitutione in beneficium fideicommiſſarij.
6 Item quando fideicommiſſarius eſt etiam executor teſtamenti.
7 Item ſi executor poſſeſſionem in fideicommiſſarium transferat.
8 Propria authoritate occupandi ius cedi põt.
9 L. fin. beneficium cedi poteſt.
10 Poſſeſſorij in cauſa is in dubio vincit, qui potiora iura in proprietate habet.
11 Legitimationis inualiditas agenti remedio l. fin. de edicto diui non obijcitur.
12 Fallit vbi incontinenti probatur.
13 Secundò vbi fuit de ipſius iuſtitia cognitũ,
14 Tertiò, vbi non aduerſus filium inſtitutũ, ſed eius hæredem obijcitur.
15 Filius non niſi conſentiens legitimatur.
16 Legitimatio patris conſenſum requirit.
17 Inteſtati ſucceſſiones æquales, & viciſſitudinariæ regulariter eſſe debent.
18 Patris voluntas aliundè, quàm ex legitimationis enuntiatione probanda.
19 Aſſenſus contrahentium voluntatem enuntians non probat.
20 Reſcriptum vera narrata continere aſſerenti probandi onus incumbit.
21 Deciſio particularis in cauſis diffiniendis attendenda.
22 Tex. in l. vniuerſis, C. de precib. imper. offerend. declaratur.
23 Tex. in clem. 1. de probat. non procedit, vbi Princeps liberam diſponendi facultatem non habet.